Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26089
Copyright: Admont, Benediktinerstift



opum fuerit executus. Anima autem neminem iuuans erit
arbor non habens poma. cum tocius pietatis inuenitur alie
na. Decimi igitur mensis ieiunium quod hiemalis est temporis ad
agricultura nos mysticam uocat quia segetum et palmitum atque
arborum uires quibus humana sustentatur infirmitas spiritalibus
studiis excolantur. ut dominicus ager suis ditetur diuiciis. et
quem nunquam expedit esse sine fructu de propria fiat uber
tate fecundior. Quod utique intellegit sanctitas uram ad tocius
ecclesie perfectos esse referendum. quorum in fide germen est in spe
incrementum in caritate maturitas. quia castitas cor
poris et instantia orationis tunc uerum optinet salutem
cum elemosinarum sanctificatione nituntur. dicente domino. da
te elemosinam et ecce omnia munda sunt uobis. Quarta igitur et
sexta feria ieiunemus. sabbato autem apostolorum beatissimum
petrum uigilias celebremus. per dominum nostrum ihesum xpm qui cum
patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum amen.

SI FIDELITER Sermo cuius supra sabbato xii.

Si dilectissimi atque sapienter creationis nostre
intelligimus exordium inueniemus hominem
idoneo ad imaginem dei conditum ut imitator esset auctoris.
et hanc esse nostri generis dignitatem si in nobis quasi in quodam
speculo diuine bonitatis forma resplendeat. Ad quam
utique nos cottidie reparat gratia saluatoris. cum quod